

Bibliothèque numérique

medic@

**Naury, Bernard - candidat / Sue, Pierre
- président. - An in articulatione
femoris cum tibia, amputatio
aliquando sit celebranda ?**

1775.

*Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
Typographi, viâ Cithareâ,
Cote : ms 2344, n°24*

AN IN ARTICULATIONE
FEMORIS CUM TIBIA,
AMPUTATIO
ALIQUANDO SIT CELEBRANDA?
THESES
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

*Quas, Deo Juvante, & Preſide M. PETRO SUE,
Juniore, Collegii Preſeſto, antiquo Scholarum Præticarum
Anatomie & Chirurgie Profeffore, Regia Academia Chirurgicæ
Conſiliario, Academiarum Montpelienſis, Rothomagenſis &
Divionenſis Socio, nec-non in generali Parisienſi præfecturæ
Chirugo ordinario, tueri conabitur BERNARDUS NAURY,
Lascurensis; Artium Liberalium, in præclarâ Parisienſi Uni-
verſitate, Magiſter.*

*P A R I S I I S ,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,
Die Luna trigesimâ mensis Octobris, A. S. H. 1775 ,
à ſequi-ſecundâ poſt meridiem ad ſeptimam.
PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.*



*Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii
Typographi, viâ Cithareâ.*

M. DCC. LXXV.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

AN IN ARTICULATIONE
FEMORIS CUM TIBIA
AMPUTATIO
ALIQUANDO SIT CELEBRANDA
THESES
ANATOMICO-CHIRURGICAE

Quia, Deo jumente, quod patet ut patet sive
junctio, collatio, sive coniunctio, sive coniunctionis
articulus est Chirurgia Prosthetica, Ilesia prosthetica Chirurgica
Cochlearia, accutiorum instrumentorum Prosthetica, Prosthetica
Dentaria, Sutura, sive suture in dentem Prosthetica, Prosthetica
Chirurgica, sive suture, sive coaptatio Dentaria, Dentaria
Tympanum, sive tympanum, sive tympanum Prosthetica
Prosthetica, Prosthetica

PARVISSIMIS.

IN REGIS CHIRURGORUM SCHOLES,

Dicitur, quae sibi sunt obligatae, Regis, A. S. H. IV.
Ab aliis, quae sibi sunt obligatae, Regis, A. S. H. IV.

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERIUS LAUREA



Tunc MACHINIS LYMBERT, Regis Chirurgie Collège
Ab aliis, quae sibi sunt obligatae, Regis Chirurgie Collège

ME DEC LXIV



D. O. M.
T H E S E S
ANATOMICO - CHIRURGICÆ.

An in articulatione femoris cum tibia, amputatio aliquando sit celebranda?

Cuncta prius tentanda : sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

OVID. *Metamorphos.* Lib. I. Fab. VIII.

MAXIMAS inter Chirurgiæ operationes, certè enumeranda artuum amputatio. Hanc à primis artis salutaris parentibus descriptam invenimus; sed in parte mortuâ sectionem prætulit Hippocrates, dùm in parte sanâ illam voluit Celsus. Hæc verò ad amputationem in continuitate membra præcipuè pertinere videtur: quandò enim vitium in ipsâ ossium articulatione aderit,

Proloquium.

A

pluribus in casibus, operationis locus certus & indubius habebitur; è contrà ossum vel in continuitate, vel in contiguitate celebrari poterit amputatio, si in continuitate morbus adsit. Quæ quidem fusiùs explicabimus in programmate sequenti: *De femoris in articulatione cum tibial amputatione*, annente & viam ducente celeberrimo Artis Magistro & Professore D. Brasdor (a). Antea vero, verusto pro Scholarum more, partium quæ in genu compositionem intrant, anatomica saltem adumbratio à nobis exponenda.

EX ANATOMIA.

Partium divisio. PARTES quæ genu constituant sunt duræ & molles, internæ & externæ. Duræ sunt pars femoris inferior, pars tūm tibiæ, tūm peronei superior, & patella. Molles sunt musculi, ligamenta, cartilagine, vasa & glandulæ, de quibus, duris partibus descriptis, dicemus.

Femoris pars inferior. DUÆ eminentiæ, condyli dictæ, ossis femoris extremitatem inferiorem præcipue constituunt, posteriùs admodum prominentes, & anteriùs in modum trochlearum unitæ. Interna, sive condylus internus, respectu longitudinis corporis ossis, inferior aut longior externo appetet. Externa, sive condylus externus, latior est, atque magis quam alter anteriora versus procedit. Ambo cartilagine admodum politâ obducuntur; & licet non nisi unicum invicem corpus constituant, anteriùs tamen & inferiùs depressione levi quasi distinguuntur: at posteriùs per incisuram profundam atque rotundam separantur, in quâ plura foraminula adsunt, & duæ impressiones semi-lunares admodum

(a) Perdocta legitur in Academ. Chir. Commentariis, tom. V. Dissertatio hujus Magistri de *Amputatione in articulis*; ex tâ depropulsim quæcumque pertinent ad nostri programmatis subiectum.

[5]

superficiales & pauxillūm latē adnotantur, una inferiūs in condylo interno paululūm antrorsūm, altera inferiūs in condylo externo, sed retrorsūm. In latere cuiusvis condyli tuberositas, & retrò impressio quædam muscularis, parvaque faciecula superficialis cartilaginea conspicuntur, in quā species ossis femoïdei locatur, si *Winstowii* verbis fides habeatur (b).

TIBIÆ extremitas superior veluti caput ipsius considerari potest. A duobus condylis superiūs admodūm complanatis, & in duas facies cartilagineas, ferè horizontales, distinctis, leviterque cavis formatur, unâ internâ, & alterâ exteruâ. Inter has duas facies tuberositas cartilaginea adest, quæ duplex videtur, atque anteriūs & posteriūs variis acuitur inæqualitatibus. Capitis duæ facies, duobus ossis femoris condylis modò descriptis respondent: interna pauxillūm oblonga & parumper magis deprimitur, quam altera: externa rotundior paululūm retrorsūm descendit. Totum caput in circumferentiâ suâ, parte posteriori exceptâ, ovale existit; condylus externus interno magis prominet; inferiūs & paululūm posteriūs parvâ facieculâ cartilagineos gaudet, pro fibulae articulatione. In parte capitis anteriore, tuberositas inæqualis, *spina tibiæ* dicta, reperitur, quæ ligamento rotulae tendinoso insertionem præbet. Notandum h̄c est totam capitis portionem suprà lineam spinæ tibiæ horizontalem sitam, & ipsam spinam, in juventute epiphyses esse, quæ successu temporis apophyses sunt.

ROTULA, sive patella, parvum os suprà tibiam & femur situm, castaneæ equinæ aut sativæ formam refert. In basim, apicem & duas facies, unam convexam, & alteram concavam, dividitur. Basis sursūm spectat, & impressione musculari admo-

(b) Vide Expositionem anatomic. *Winstow*, edit. an. 1753.

dùm notabili designatur. Apex obtusus est, & ligamento robusto patellam spine tibiæ annexanti insertionem præbet.

Facies convexa anterior est, leviter inæqualis, & quasi sulcata. Concava posterior est, & cartilagine articulari versus usque apicem obducitur, ubi parva cavitas, sive fossula admodum inæqualis fit. Facies hæc cartilaginosa, per lineam inter basim & apicem elevatam, in duas dimidias facies dividitur, quæ trochlearum femoris ita respondent, ut dimidia facies externa latior sit internâ, quemadmodum portio trochlearum externa, portione internâ latior est. Per sat longum tempus cartilaginosa est patella, atque etiam in ossificatione ferè tota spongiosa evadit, faciebus atque impressionibus ipsius exceptis; tanquam pars ad tibiam peculiariter pertinens cum *Winslowio* considerari potest, instar olecrani mobilis.

Fibula pars su- EXTREMITAS fibulæ superior tuberositas quasi, sive caput per *perior.* parvum planum cartilaginosum obliquè complanatum est, quod cum facieculâ inferiore condyli externi capitum tibiæ articulatur. Retrorsum per speciem apicis brevis, obtusi atque ascendentes, terminatur.

Genu articulatio. Os femoris inferius cum tibiâ per ginglymum peculiarem conjungitur; superius cum condylis femoris articulatur tibia, & hæc articulatio ratione flexionis & extensionis cruris, ex parte ginglymoidea, ratione rotationis cruris flexi, ex parte artrodialis est, id quod à duobus cartilaginibus intermediis pendet. Per suam extremitatem superiorem cum facieculâ inferiore condyli interni tibiæ articulatur fibula, & hæc articulatio artroodia est, admodum parvum motum concedens. Quandù sedemus, atque talum terræ imponimus, & apicem pedis alternatim in unum alterumve latus movemus, maximè evidens est ille motus, quem rotationem cruris flexi vocat *Winslowius*, & qui in hoc-cessantium situ locum habet.

Eosdem respectu tibiae usus, quos olecranon respectu ossis cubiti, habet patella. Unum æquè ac alterum horum oslium, ad actionem muscularum faciliorem reddendam inserviunt, removendo eorum directionem à centro motū articuli: ambo, horum tendines, à compressione, contusione, atque dilaceratione vindicant; differentiaquæ rotulam & olecranon intercedit, hæc est, quod hoc immobile, atque firmum sit, & non nisi unicum cum osse cubiti os constitutat, dum è contrà rotula mobilis est, & pars à tibiâ separata existit. Si rotula cum tibiâ unicum os constitueret, crus hasce semi-rotationes, modò descriptas, absque rotulae dislocatione aut fracturâ, nequaquam instituere posset.

Parvus motus, sive artrodia obscura quæ in capite fibulae adest, nullum alium usum habere videtur, quim ut illud os, quod plurimis potissimum pedis muscularis insertionem præbet, in nissibus violentis suorum muscularum, v. g. quandò strenue currimus, quandò salimus, vel quandò magno pondere onerati incedimus, cedere queat.

CARTILAGO extremitatem inferiorem ossis femoris investiens, *Genu Cartilagine*, convexitati semi-ovali superficie inferioris cujuslibet condyli, atque trochlear ex eorumdem unione enata, perfectè respondeat. Sed præter hanc-ce cartilaginem, tuberositas lateralis cujusvis condyli specie facieculæ cartilaginosæ posteriùs instructa est.

E cartilaginibus propriis tibiæ, duæ reliquias crassitie superant, & duas facies superiores hujus ossis capitis contingunt. Tertia cartilago parvam facieculam capitis tibiæ investit, quæ infrà suam faciem externam, id est, in parte inferiore condyli externi sita est. Cartilagines accessoriæ tibiæ, duæ sunt, quæ ratione figuræ *semi-circulares*, sive *semi-lunares*, & ratione sicutis cartilagines *inter-articulares*, vocantur. Harum convexitas, sive magna curvatura admodum crassa, & concavitas sive parva

curvatura admodum tenuis & ferè instar aciei falcis est. Faciebus superioribus capitis tibiæ eum in modum incumbunt, ut earumdem crassities, sive convexitas, marginibus capitis respondeat, earumdem acies versus medium cuiuslibet harum facierum spectet, & cornua unius versus cornua alterius vergant.

Una tantum cartilago apicem extremitatis superioris fibulae incrustat, atque articulationi cum parva capitis tibiæ facieculâ cartilaginea inservit; crassior quidem est cartilagine extremitatis inferioris.

Rotula in facie sua posteriori, sive articulari, cartilagine admodum crassâ obducitur, quæ elevatione longitudinali admodum levi in duas semi-facies, duabus trochlearibus ossis femoris portionibus proportionatas, dividitur.

Genu Ligamenta. Ossa cruris cum osse femoris conjangi, medianibus pluribus ligamentis, scilicet duobus lateralibus, uno posteriore, & duobus intermediis, cruciatis dictis, nemo nescit. E duobus lateralibus internum, quod latissimum est, superius tuberositati condyli femoris interni, & inferius in latere interno partis superioris tibiæ, inseritur; annexatur insuper margini cartilaginis semi-lunaris, sive inter-articularis internæ: ligamentum laterale externum, quod angustius & crassius est, ex parte condylo femoris externo, & ex parte tibiæ, immediate supra fibulam, & extremitati superiori fibulae, inseritur; margini quoque cartilaginis semi-lunaris externæ agglutinatur. Ligamentum posterius, latum sed tenue, super posteriorum condyli externi convexitatem primò annexatur, deinde obliquè descendit & pluribus expansionibus parti capitis tibiæ posteriori adhæret. Ligamentum circulare reliquis agglutinatum, latè circum extremitatem ossis femoris inferiorem se extendit, in aliquali

distantiâ , suprà partes anteriores laterales & posteriores cartilaginis idem incrustantis, & suprà partem posteriorem magnæ incisuræ. Hoc os à cartilagine & incisurâ usque ad distantiam indicatam investit, deinde replicatur inferiora versùs, ad capsulam liquoris mucilaginosi articulationis efformandam.

E duobus ligamentis intermediis, sive cruciatis, incisuræ duos femoris condylos posteriùs separanti annexis, unum uno extremito impressioni superficiali internæ incisuræ femoris, & altero extremito incisuræ capitis tibiæ , retrò tuberculum cartilaginosum inter duas facies superiores reperiendum, annectitur. Alterum ligamentum cruciatum , uno extremito notæ externæ incisuræ femoris, atque altero extremito ante idem tuberculum cartilaginosum , & inter portiones anteriores earumdem facierum, inseritur. Cartilagini semi-lunares , propter earum connexionem cum ligamentis tibiæ lateralibus , peculiaribus quoque ligamentis præditæ sunt ; earumdem cornua in ligamenta brevia & valdè robusta desinunt. Ligamento insuper hisce duobus communi instructæ sunt, quod à convexitate anteriore unius ad convexitatem anteriorem alterius, in modum arcûs, transversè excurrit.

Rotula tuberositati seu spinæ tibiæ annectitur, mediante ligamento lato, valdè robusto, quod directè ab apice hujus ossis descendit; parvis præterea ligamentis lateralibus gaudet, quæ sensim à præcedente discedunt, & anteriùs margini capitis tibiæ inseruntur. Ligamentum insuper admodum gracile invenitur, quod unâ extremitate inferiùs in facie cartilaginofâ rotulae, atque alterâ extremitate parti anteriori magnæ incisuræ, quæ inter condylos femoris est, annectitur. Ligamentum hoc freni vicibus fungi videtur, impediendo, ne pinguedo articularis in motibus genu vellicetur.

Ligamenta extremitatis superioris fibulæ brevia, plus minusve obliqua, admodum robusta, in duo anteriores & duo poste-

riora, quorum unum suprà alterum situm est, dividuntur. Superiora articulationem fibulae arcuūs quam inferiora circumdant: cuncta ligamento capsulari agglutinantur.

Genu Synovia. GLANDULÆ mucilaginosæ, in parvis spatiis, depressionibus, sive incisuris levibus locantur, quæ in marginibus cartilaginum cujuslibet articulationis inveniuntur: à ligamento capsulari articulationis continguntur: facile substantia glandulosa ab adiposâ, colore plus minusve rubicundo vasorum capillarium glandulas cingentium, distinguitur. Tām superiūs, quam inferiūs, tales quoque glandulæ mucilaginosæ in marginibus cartilaginum semi-lunarium inveniuntur. Ultimæ tandem locantur in replicationibus versùs popliteum à membranâ internâ ligamenti capsularis efformatis, quæque ligamentis cruciatis eorumque fasciis vicinis peculiaria involucra subministrant.

De musculis vel potius aponeurosis has partes corroborantibus, sicut & de earum vasis tūm sanguiferis tūm nervosis, sufficiens, pro viribus, cuique interroganti dabitur responsio.

E X C H I R U R G I A.

Divisio. QUÆCUMQUE ad cruris amputationem, in hujus ossis cum femore articulatione, pertinent, ad duas potissimum sectiones reduci possunt, & questionis hujuscce absolute erit discussio, posteaquam 1º. casus hanc adhibendi operationem determinaverimus, 2º. optimam eam celebrandi methodum descripserimus,

§. I.

Amputationem in articulis celebrasse veteres, ex eorum scriptis apparet; sed de genu amputatione speciatim non disseruerunt. Celeberrimus noster Pareus hujus susceptionem, Hippocratis testimonio & auctoritate, confirmat. Recentiores vero

Auctores

Auctores hunc operandi modum generatim rejiciunt, falsis & futilibus licet innitantur rationibus: de hac re si interrogatur *Dionisius*, ab eis dissentire videtur, (c). Hujus quidem opinio multis Chirurgis admittitur hodiè; sed, inter recentiores auctores, *Heisterus*, postea quam pronunciavit membra in suâ articulatione non præcidenda esse, propter accidentia ex carnium in his partibus defectu derivata, addit (d) persuasum se habere, sufficienti cutis longitudine conservatâ, vultur, æquè ac illud digitorum post amputationem, sese consolidare posse.

Celeberrimus *Petitus noster testis* fuit amputationis in articulatione genu quæ celebrata fuit, instrumentis ad alio modo operandum deficientibus (e). Quibusdam in casibus,

(c) *Cours d'opérations de Dionis*, sixième édition, Page 742. Il y a, dit *Dionis*, quelques auteurs qui proposent de couper la jambe dans l'article du genou; ils disent pour leurs raisons que l'opération en est plutôt faite, parce qu'on n'a pas besoin d'employer autant de temps qu'il en faut pour scier les os: mais cette manière n'est pas approuvée par les Praticiens d'aujourd'hui, qui en font voir les inconvenients; ils disent que si la partie est tuméfiée, on a de la peine à en trouver l'articulation, qu'on est obligé de laisser la rotule qui embarrasse par la suite [*]; que les deux têtes du fémur étant découvertes, il faut qu'elles s'exfolient, qu'elles ne se recouvrent pas facilement par le défaut des chairs dans le genou, & qu'enfin on ne peut appliquer une jambe de bois qu'avec beaucoup de difficulté & d'incommodité pour le malade, &c. ...

(d) *Inst. Chir. Lib. de Amp.*

(e) Vide *Petiti opera posth. à Collegio nostro celeberrimo Lefue edita* 3 vol. in-8°.

[*] Mox videbitur duas esse methodos hanc celebrandi operationem, sive septulâ conservatâ, sive cädem ablata.

Hanc fieri posse satetur, & hos casus sic stabilit: 1°. quando globus ferreus, glans plumbea, lapis, vel aliud corpus cum impetu emissum, crus propriū ad genu lēdit; 2°. si æger vel parentes femur amputari nolunt, in articulatione amputandi necessitas est, artisque præcepta tunc eludenda; 3°. si propter gangrenam amputatio fiat, & ea fese extendat ac limitetur ultrā locum in quo plerumquè præciditur crus, amputatio in articulo celebranda, quando præsertim vivæ carnes à mortuis secedunt, in loco ubi tegumentorum incisio fieri debet; 4°. infantes quidam sunt, atque etiam adulti, morbo ita emaciati, ut sine ullo periculo crus in articulo separari possit, & hoc est exemplum qnod vidit *Petitus*. Operandi modum simul describit, de quo in sequenti paragrapho dicemus. Vítrices & indubias palmas quibus Magister Brasdor adstruit articulorum generatim amputationis necessitatem, hic referre non sinunt programmati limites; quæ ad genu articulationem pertinent, harum tantum-modò expositio à nobis proferenda.

Status quæstionis à nobis agitandæ, hic est: utrum, quando morbus, qui cruris amputationem necessariò efflagitat, partem hujus superiorem occupat, vel usque ad articulationem cum femore fese extendit, ita ut operatio in ossium continuitate celebrari non possit; an, inquam, in hoc casu, plus periculi à sectione in genu articulatione institutâ sequeretur, quam ex amputatione femoris pro more celebratâ. Ad hanc enucleandam quæstionem, principia generalia ponenda, & hæc sunt:

Principia de amputatione in articulo genu generalia. 1°. EXPERIENTIA constat, eò minus esse periculum in amputatione membris, quod à truncu corporis remotor est operationis locus; hoc posito, sectionem paulò superiùs, aut inferiùs instituere idem non est.

2°. Quando operandi locus ab opinione Chirurgi penderit, amputationem in articulo anteponere debet, ex eo quod partium

sublatarum quantitas , vulnerisque amplitudo , minores erunt.

3º. Supponendo genu cutem peculiaris non frui strūturā , quæ sensibiliorem femoris cutē hanc reddat , dolor amputationis in articulo cum femoris amputationis dolore comparatus , in eādem esset proportione , ac eā quæ observatur in cutis , musculi poplitei , gemellorumque initii quantitate in articulo secatā , relativè ad quantitatem cutis , validorum & plurimorum muscularum in femoris amputatione secandorum . Quin imò æquali suppositā in his partibus sensibilitate , differentia semper evidentissima esset , pro amputatione in articulo celebrandā : hāc igitur operatione , multū minui doloris vim , qui operacionum successui tam terribile generatim obstaculum affert , faltem probabile est .

4º. In articuli genu amputatione , minor etiam erit inflammationis gradus , tūm propter minorem textū cellularis in hoc loco quantitatē , tūm quia ipsae partes secandæ parūm inflammationis capaces sunt .

5º. Abundantiā textū cellularis qui in femore & in genu reperitur sedulō perpensā , pauciorem quoque esse debere suppurationem , post articuli amputationem , constat : undē jure ac meritō asseverari potest , hāc operatione celebratā , eas abundantiores non fore timendas suppurationes , quæ ægrum post femoris amputationem səpəsəpiis trucidant .

6º. Deniquè , multō facilius ac tutius per ligaturam sistitur sanguis , post amputationem in articulatione genu celebratam ; difficillimum enim est , quandō post femoris amputationem fit ligatura , fibras musculares ex alterā parte ossi adhærentes , non simul in ansā fili comprehendī , undē dolores , inflammations , molestæque sequuntur contractiones . In cavo è contrà poplitis , arteriæ solo textu cellulari circumvolvuntur , & nulla fibra muscularis per ligaturam vellicari potest . Præterea , his arteriis solis

B ij

tegumentis tectis , & parte femoris posteriore latam exhibentes superficiem , quam supra conveniens retinere apparatus facile esset , levis & commoda lateralis institui posset compressio , quæ ligatura aut agarici effectum mirè juvaret.

Ex his principiis certis , ratione & experientia stabilitatis , quæ M. Brasdor fusiis in suâ dissertatione discutit , hanc cum inventore liceat nobis elicere conclusionem , saltem dignam cui applaudetur , amputationem in genu articulo anteposendam esse femoris amputationi , quando cruris morbus adest qui hanc vel illam operationem absolutè necessariam reddit. Non solum enim minus incommodum , sed etiam minus periculum in sectione articuli adest , cùm magis à trunco dimoveretur operationis locus , cùm vulneris superficies minor esset , cùm dolor , inflammatio , suppuratio , minora forent , cùm denique leviora aut ferè nulla accidentia sequerentur à mediis ad sanguinem fistendum adhibitis. His tam claris , tam certis commodis , addendum , quod solo instrumento secante possit celebrari operatio , quod ferræ usus , & ideo membra commotio , ipsius ossis textus reticularis dilaceratio , sicut & medullæ inflammatio , hæc methodo vitentur.

Præter observationem Petiti superiùs allatam , aliam quoque similem de amputatione in genu articulo refert M. Brasdor , quæ ab artis Magistro citius eheu ! crudeli morte Chirurgiæ & amicis erepto D. Hoin ; suppeditata fuit. Huic etiam annexerat historiam ægræ , quæ casus exemplum præ se fert , in quo maximè conveniens apparebat amputatio in genu ; hanc unicam salutis anchoram suadebat M. Hoin , neglecta tamen fuit ; & tribus diebus periit æger. Quare igitur anceps quidem sed unicum artis salutaris auxilium neglectum fuit ? Quia in re medicâ , sicut & in aliis rebus , numerantur , non præponderantur voces. Supereft nunc , ut varios hanc operationem celebrandi modos , ex eodem fonte depromptos , hic tradamus.

§. I L

NOTANDUM primò est, quodeo in casu ubi in ipsâ articula- *Amputationem in articulo genu*
tione reperiretur membra gangrenâ corrupti demarcationis linea, *celebrandi varia*
instrumenti via generatim delinearetur & per circumstantias *methodi.*
locus amputationis designaretur, ita ut illud tantummodo abso-
vendum esset, quod Natura inchoavisset. Relativè ad amputatio-
nem in genu articulo, ab initio duas solvendæ sunt quæstiones.
1º. Rotula separari-ne debet, vel non? 2º. Carnis segmentum
posteriorū conservari-ne debet, vel sectio transversa sufficiat-ne?

Si auferatur rotula, condylorum denudatio major erit & ideo *Prioris quæstio-*
tempus curationis atque etiam operationis diuturnius: cutis
sectio æqualis non erit, sed plurimi in locis quasi concisa. Si
è contrà conservetur rotula, parva vel nulla erit denudatio, &
ferè in totâ superficie suâ cooperientur condyli, tum per carnis
segmentum posteriorius, tum per cutis partem infrâ rotulam con-
servatam, ut mox dicemus; sed non-ne accidentia sequi pos-
sunt, si in situ relinquatur articulationis pars efformata per
condylorum articularis facieculæ concursum, cum rotulæ poste-
riori faciecula? Corruptione affici sensim non-ne poterit humor
synovialis? Partes molles hujus articulationis portionis, quæ
fecatæ non fuerint, non-ne iis obnoxiae erunt accidentibus
articulationum vulneribus communibus? Experientiam solani
tuto & certè de his pronunciare posse fatendum est. Ambarum
operandi methodorum descriptio mox danda diversas offerre po-
test indicationes, quæ pro variis circumstantiis ad varios determi-
nant susceptus. Petitus auferri rotulam vult, è ratione impulsus
quod multum afferat in deligationibus incommodum. « Cumi
enim, inquit peritissimus vir, sursùm trahatur per cruris
extensores musculos, cum per suum ligamentum infrâ jam
non contineatur, semper vacillat quoties apparatu detineri

» cessat „. Utillima potest esse Petiti observatio ; sed contrarium in suo ægro observavit M. Hoin : inter duos artis Magistros quis litem dirimere audebit ? Experientia sola pro variis casibus ; posterior nunc quæstio enucleanda.

Posterioris quæstionis solutio.

Hujus quæstionis solutio quin affirmativa sit, nihil impedit. Semper enim carnis segmentum conservare, utillimum erit, quod saltem ex parte adhesionem contrahere potest, cum osseâ superficie nudâ, ut in ægro M. Hoin evenit, & indè promptior erit curatio. Præterea ligatura vasorum, si adhibeatur, facilior erit, cum vasa in segmenti superficie carnosâ serpentant. Arteriæ popliteæ amplitudo ex parte nuda erit per transversum saltem digitum, in cylindri alter utrum latus acus insigi & altero latere eximi facile poterit, nullis aliis partibus in ansâ complexis. His adde, quod segmento in condylos redacto, sanguinis cursus directio mutata fuerit, & hujus impetus saltem coactus, undè concurrentibus aliis mediis, minor ejus effusio. Ligaturâ tandem inter segmentum & osseam superficiem collacatâ, tutiùs in situ remanebit, certioresque erunt hujus effectus.

Quodnam autem medicamen anteponi debet ad sanguinem sistendum ? Varium pro vario casu. Si post perfectam sectionem resoluto torculari, paululum sanguinis ex arteriis effluat, ut in observatione M. Hoin, sola agarici applicatio sufficere poterit, juvante idoneâ compressione. Si verò vel minimum timendum sit, ne fallax sit hoc medium, ad ligaturam citò & sine dubio recurrentum erit, præcipue si nimis validus sit æger, & arteriarum magna amplitudo.

Unicum secans instrumentum ad hanc operationem sufficere potest, & rectum cultellum in plerisque amputationibus commune, cum successu tunc adhiberi potest. Hoc tamen ante-

ponendum, quod invenit Magister Brasdor, cuius incisoria pars paululum convexa, obtusa acies, & dorsum paulo spissum. Sex in latitudine lineas, & quatuor circiter pollices in longitudine pro adultis habet lamella. Apparatu disposito, ægro in situ idoneo collocato, applicato torculari, ad sinistrum ægri latus se accingit Chirurgus; crus læsum in situ horisontali, quantum fieri potest, sustinet minister, dum alter exteriore membra in parte positus, crus suprà rotulam duabus manibus complectitur, & sursùm fortiter trahit: his ritè depositis, operatio variè celebratur, prout rotula vel conservatur, vel tollitur.

IN primo casu, Chirurgus sinistram manu crus anterius, & infra rotulam comprehendet, ad infimam trahendo cutem extendendam; dextram manu cultello armatam, ad poplitis oppositam rivam, cultelli partem incisoriam ducet, hancque anterius reducit, secando cutem transversim, usque ad alteram poplitis rivam; ita ut pars posterius inter duas rivas complexa, vel id quod propriè poplite efformat, hâc primâ sectione nullo modo incidatur, & linea transversalis quam petcurrit, usque ad transversum infra rotulam digitum fere extendat. Duobus vulneris cutis labiis à fere invicem dimotis, validum rotulae ligamentum intuitur, quod ad labii superioris marginem secari debet. In cavitatem articularem penetrato instrumento, inciduntur alternatim, juvante ossium unione, partes capsulae laterales. Attendendum est simul, ministrum qui crus continet, illud flectere in tantum quantum secatur; ligamenta cruciata, & cartilagines inter-articulares simul cum aliis partibus, sine peculiari attentione, secari possunt; magis ac magis flexo à ministro crure, cultellam usque ad posteriorem tibiae capitis marginem sensim ducit Chirurgus, & ad carnis segmentum efformandum, primò versus cruris axim, deinde versus pedem, instrumenti partem incisoriam dirigit; hinc obliquè dicit ex

*Rotulâ conservatâ
operandi modus.*

superiori ad inferiorem, & ex anteriori ad posteriorem partem, sectionemque absolvit, segmine efformato quod quatuor circiter transversos digitos adaequat. Talis est operandi modus, quando conservatur patella.

*Rotulâ ablatâ
oprandi modus.*

Si vero eam auferas, eodem ferè in loco, ac in superiori methodo, inchoatur quidem incisio; nedum autem transversim ducatur cultellum infrâ rotulam, obliquè suprà hanc adducitur. Incisio deinde super sinistrum latus prolongatur, & obliquè descendit, ad in hoc latere sese terminandam, eodem alto in loco, ubi in alio latere inchoata fuit. Unde videre est hanc sectionem describere lineam curvam, cuius media pars rotulam transversim separat, & extremitates super poplitis margines fulcimentum habent. Hac primâ sectione, omnino secari debet cutis, & accuratè à rotulâ distrahi, ut suprà hujus ossis extremitatem superiorem ascendere possit. Ad eundem finem, ministro qui femur continet præcipiendum, ut ad se, quam maximè poterit, attrahat. Hoc vero si non sufficiat, crus paullum deprimendum, & cultellum sub incisionis labio superiori ducitur, in eadem proportione quâ ascendit cutis, & sic omnino nudabitur rotula. Tunc Chirurgus sinistrâ manu hanc arripit, tendines muscularum cruris extensorum immmediatè infrâ horum adhesiones secat, rotulam sublevat, instrumentum dicit secundum ossium unionis longitudinem, ad capsulam in alterutro latere vicissim secandam, & sectionem, ut superius dictum est, absolvit.

*Ligatura & ap-
paratus.*

Quoquo autem modo celebrata fuerit operatio, arteria poplitea nuda apparet, & quasi ab aliis partibus separata, in transversi circiter digiti spatio; sanguis ex eâ fluens, sive agarici applicatione, sive ligaturâ, pro variis circumstantiis, ut jam superius diximus, sistitur. Si ligatura celebretur, filo secto quedam relinquenda longitudo, ut, ipso separato, facile possit extrahiri,

extrahi. Hujus fibræ colligendæ , & in loco, ubi minor erit à segmenti margine distantia, collocandæ; ligaturâ institutâ vel agarico applicato , super condylos anteriùs adducentur tum cutis , tum carnis segmina, ita ut , quām minimè possibile erit, nuda relinquatur ossea superficies. Imponatur huic deinde levis lina- menti carpi mollis placenta & insuper spissum splenium , his sustentatis capitis tegumento , fasciæ circularis paululùm strictis circumvolutionibus contento , ita ut , pro clarissimi viri D. *Monro* consilio, apparatum contra vulnus tantum leviter contineat & comprimat (f).

In sequentibus deligationibus, & quandò humorum expurgatio fit , anteriùs & posteriùs super amputati membra partem extremam applicare optimum erit fasciolam agglutinantem , ad in sensum contrarium cutem attrahendam , & sic illam ad sectionis centrum approximandam.

Nonnulli adesse poterunt casus , in quibus generalia h̄ic tradita precepta locum non invenient ; pro circumstantiis , hanc vel illam agendi normam sequatur artis suæ compos Chirurgus ; sufficit nobis ratione & experientiâ comprobasse , plurimis in cruris & genu morbis , amputationem in horum articulo femoris amputationi esse anteponendam. Hanc igitur confidenter elicere conclusionem possumus :

Ergo amputatio in articulatione femoris cum tibia aliquando est celebranda.

(f) Vid. *Essais d'Edimbourg*, Tom. IV , page 392.

